M2372

Hurb. – Kalm.

Spectabilis Perillustris ac Generose Domine!

Festinans, ne res mea in longum tempus differratur, ~~mitto~~ testimonium legale mei Domini Superintendentis de facultate suscipiendi itineris TUAE Dominationi Spectabili jam antea notati. Nec habeo quod amplius addam.

Sed gratiis atque favoribus TUIS emisissime commendatus peculiari cum venerationis cultu persevero Hlubokae die 10 Martii 1863.

Dominationis TUAE Spectabilis

humillimus servus
Dr J. Hurban

Spectabili Perillustri ac Generoso Domino Domino Emerico Kalman de eadem Inclyti Cottus Nittriensi Judici Nobilium Ordinario Domino mihi singulari cum cultu prosequendo

Holitsii.

Listiny strany Passu do německa

Čislo 22. 1843

ARCHIV SLOVENSKÉHO NÁRODNÉHO MÚZEA V TURČ. SV. MARTINE

MATICA SLOVENSKÁ LITERÁRNY ARCHÍV MARTIN

M2372

Hurb. – [illegible]

Spectabilis Perillustris ac Generose Domine!

In procinctu exeundi cum filio meo ad exteras Germaniæ Oras pernecessariæ sunt nobis literæ de securitate viæ, quare Tuam Dominationem Spectabilem dignanter rogo velis mihi filioque literas tales penes Excelsum Consilium Locumtenentiale Regium gratiose efficere.

Proficiscitur filius meus Stendal-inum prope Magdeburgum in regno Borussiæ; descriptiunculam eius personæ hic adpono:

Nomen & cognomen: Svetozár Miloslaw Hurban, IVæ Classis in Gymnasio Felsö-Lövö-ensi in Comitatu Castriferrei discipulus, natus Hlubokæ die 16 Januarii 1847, religionis ev. A. C., staturæ magnitudinis mediæ, capillorum castaneorum, oculorum fuscorum, faciei oblongæ. Finis itineris: continuatio studiorum in gymnasio Stendal-ensi.

Ego autem natus sum in Betzkó, Comitatus Trenchiniensis anno 1817 die 17 Martii, defungor officio parochi evangelici A. C. Hlubokæ, sum Doctor Theologiæ, staturæ magnitudinis mediæ, capillorum castaneorum, faciei oblongæ, oculorum cæruleorum, nasi & oris proportionatorum. Proficiscor in regna Germaniæ foederata (in die Deutschen Bundesstaaten) in negotiis familiæ.

Hæc vero sunt, quæ necesse habui adnotare, et quod reliquum est, adposita est pecunia pro publica sigilli impressione, duo scilicet floreni e lege numaria austriaca.

Ceterum pretiosissimis gratiis atque favoribus Tuis commendatissimus persevero cum voto omnigenæ salutis et benedictionis.

Hluboka die 17 Februarii 1863.

Spectabilis Tuæ Dominationis

humillimus servus

Dr Th. Josephus Miloslaus Hurban

Parochus A. C.